(8)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FALCONER,

JAMAICENSIS;

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

James Woodford Esqr

With the Author's comp^ts

VIRO DOCTISSIMO,

HINTON SPALDING, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIUM

SOCIO,

&c. &c. &c.

ARTEM APPOLLINAREM APUD KINGSTON JAMAICENSUM,

SUMMA FELICITATE EXERCENTI:

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

ANIMI,

PROPTER AMICITIAM QUA SE SUAQUE

SEMPER DIGNATUS EST,

GRATISSIMI,

LEVE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ROBERTO CRAIG, ARMIGERO,

APUD PEBLIS SCOTORUM

SOLERTISSIMO CHIRURGO:

VIRO OPTIMO

HASCE

SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMAE VENERANTIAE AMORIS GRATISSIMI

PIGNUS,

OFFERT

JOANNES FALCONER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

AUCTORE JOANNE FALCONER.

Scarlatinam aliquis designare potest,—
"morbum contagiosum, cum febre synocha
"incipientem, cujus die secundo maculae
"variae, laete coccineae, in summam cutem
"prodeunt, necnon in os et fauces; cito
"coalescentes, in squamulas furfuraceas ante
"quintum diem abeuntes; succedente dein
"saepe Anasarca."

Ut alia exanthemata Scarlatina contagio specifico propagari videtur; utpote quae semel homines tantum in vitae decursu afficiat. Multi tamen confirmant aliquando Scarla-

tinam recurrisse tam evidenter eidem homini ut nemo ultra dubitare posset. Rarissima tamen haec res est, et auctoribus urticaria, quae saepe ab ingestis concoctu difficilioribus originem trahit, nec raro Scarlatinae simillima est. Scarlatinae contagioni nulla non aetas obnoxia est, sed pueri multo magis quam adulti, qui non solum tardius post eam adhibitam aegrotant, sed vi ejus saepe efficaciter resistant: ut in multis medicis ministrisque nonnullis videre est. Talium enim haud pauci, Scarlatinam nunquam perpessi, aegris eâ laborantibus saepe ministraverunt, nec tamen inde mali quidlibet experti sunt.

Omnibus porro anni tempestatibus Scarlatina apparere potest, sed autumnus, hyemisque initium tempora sunt, quibus maxime saevire consuevit. Quin si per hyemem epidemica fuerit, adventus veris plerumque eam mitigat. Debilitas, fatigatio, jejunium longum, coeli vicissitudines corpus ad contagionem proclive reddunt, et morbum,

verisimile est, futurum magis gravem efficiunt.

Tres in species hic morbus distribui potest, nimirum in scarlatinam *simplicem*, scarlatinam *anginosam*, et scarlatinam *malignam*. Imprimis de scarlatina simplice agendum erit.

Prope tertium quartumve diem, postquam homo contagioni patefactus est, febris, cum multo languore, debilitate, algoris sensu; capitis dolores, necnon lumborum et membrorum, plerumque post meridiem vel vespere accedunt, nullo signo monitorio praegresso. His adduntur sitis ingens, respirationes crebrae, anxiae, strepentes, calor cutis summae vehemens, dum aeger pedes frigere putat, oculi suffusi, rubri, palpebris tumefactis; Pulsus saepe 140, alvus adstricta, cutis aridissima.

Saepe ante horam quartam vigesimamque, alias non ante diem quartam, adeo in-

certa morbi eruptio est, post febris initium, Exanthema in facie et cervicibus apparere incipit per plurima punctula, parva, rubra, quae cito per corpus omniaque membra se disseminant. Die tertio vel quarto morbus summam attigisse videtur: facies tumet, rubet; saepe aliqua gutturis affectio est, atque tum signa febris vehementissima sunt. Quinto die eruptio paulatim marcescere incipit; interstitia latescunt, color pallescit. Sexto, adhuc pallidior est, atque septimo prorsus evanuit. Cuticula per squamulas furfuraceas decedente, octavo vel nono, cuticulam subter jacentem rubicundulam post se relinquens.

Post eruptionem factam, morbi violentia aliquando multum imminuitur. Nausea vomitusque cohibentur, febris et capitis dolor multum minuuntur, vultus hilarior fit. Saepe tamen post eruptio coeperit, febris aggravatur, atque calidissima manet. Æger aut inquies est, aut comate afficitur, saepeque nocte, delirio, sed hoc delirium raro medico

visum est: utpote quod lene sit, atque mane decedat.

Scarlatinae simplicis febris plerumque modica est: quin multi illam obierint sine ulla febre visibili, vel nonnisi levissima affecti. Aliquando tamen febris satis vehemens est, cum siti magna, calore cutis saepe ad 104, F. delirio, lucis intolerantia, oculorum rubore, vultu suffuso.

Inter eruptionem, papillae linguae elongantur, atque colore coccineo adeo rubentes, ut qui semel viderit haud facile oblivisci potest, sed facile iterum recognoscet. Cum eo papillarum incremento exanthema simul adest, quod palatum durum ac molle, velum pendulum ejus, faucesque obtinet, atque salivam crassam, viscidam, evocare videtur.

DE SCARLATINA ANGINOSA.

An scarlatina anginosa a cynanche maligna quidquam discrepet, vehementer apud medicos, disputatum est. Ut nihil inter se differant eo ducunt quod scarlatina anginosa et cynanche maligna in eadem domo, et, ut apparuit, ab eadem contagione adhibita, simul oriri visae fuerint. Cl. Cullenus tamen diversos morbos putavit, atque in primis suis Praxeos Medicinae lineis, seorsim descripsit. Hodie tamen nonnisi eundem, esse morbum, putant eademque origine derivatos.

In hâc specie, febris vehementior incipit quam in scarlatina simplice, omniaque ejus signa graviora sunt. Ad delirium proclivitas major est; atque corporis calor, quam in quovis alio morbo vel statu intensior, utpote qui ad 112, F. usque exauctus fuerit, visus. Pulsus valde frequens, firmus est; respiratio

multum impedita a faucium tumore; vox aliquando non audibilis, perinde ac in Cynanche Laryngea contingit. Haud raro cum primis febris indiciis, sed plerumque, non nisi post eruptionem, gutturis affectio se ostendit: silicet musculi maxillae inferioris, cervicis, summique humeri, adeo rigescunt; ut quicquid oris rictum auget, vel caput movet, dolorem cieat. Guttur aridum, ardens est, vox indistincta, cibi deglutitio difficilis. Ore introspecto, tonsillae, uvula, molle palatum rubra tumidaque apparent, unde hoc munere suo valde imperfecte fungitur, cibos per nares regurgitare, si quos devorare tentetur, sinens.

Dein ulcuscula crusta albicante obtecta, brevi in conspectum veniunt. Haec halitum magis foetidum reddunt nec raro iis parotidum, submaxillarium vel glandium cervicis tumor et suppuratio accedunt: quae non nisi tardissime sanescunt. Hac specie quoque eruptionis dies plerumque diutius protrahitur, et quamvis aspectu haec non multum

discrepet, tamen haudquaquam per corpus tam universe dispergitur ut in simplice. Raro tamen circa cubitos abesse visa fuit. Duratio quoque magis variabilis est; saepe brevi postquam apparuerit recedens, iterumque se ostendens, nec signa morbi intendens, utcumque durationem ejus producat. In multis exemplis ad quartam usque hebdomadem desquamatio perstat; atque in ea plagae amplae cuticulae, maxime e manibus pedibusque decedunt. Quum morbus levis est, atque exanthema cito evanescit saepe nulla dequamatio fit.

Initio pulsus celer, fili exigui sub digito tensi similis est, sed saepe plenus, durus, robustus. Progrediente febre languescit, atque debilior evadit. Tempus vespertinum versus, febris semper increscit, atque delirio, siti intensa, vasorum chylum parantium perturbatione, qualem monstrant vomitus biliosus et alvus adstricta, excipitur.

Æger vires paulatim recipit, tumore gut-

turis jam ablato. Ulcera sanescunt et alia malaevanescunt: Cibi appetitus reditaliaeque faustae mutationes accedunt, sed aliquandiu imbecillus manet. Aliis tamen exemplis morbus adeo non decrescit sed etiam iterum ingravescat. Faucium ulcerationes late serpunt, aspectumque magis insalubre assumunt: vultus fit pallidus cadaverosus, pulsus celerrimus est debilisque, atque hoc statu aut subito extinguitur aut lentissime convalescit. Scarlatina anginosa nonnunquam bronchitide terminatur, necnon hydrocephalo, marasmo. Sequelae quoque haud raro suppurationes sunt aurium quae multis saepe annis trahunt, tumores intercutes faciei, membrorum, secunda fere hebdomada quae aggrediuntur et per alias duas vel plures hebdomadas durare possunt. Hic tumor in facie et membris solis non multum periculi monstrat: sed in paucis quibusdam exemplis ubi latius diffusus est, in cerebum vel cava corporis effusiones creare, et hoc modo vitam cito opprimere potest. Haec autem Anasarcae species inflammatoria est,

ut quae ex aucta vasorum integumentorum actione pendeat.

DE SCARLATINA MALIGNA.

Scarlatina Maligna, ut nomen indicat, species omnium periculosissima; comitem enim habet summam debilitatem, atque curriculum ejus intra tempus brevissimum absolvit. Plerumque prima signa non alia quam quae in scarlatina anginosa videntur, brevi tamen ingenium suum indicat, et quamvis febris protinus ab initio synocham prae se ferat, pulsus cito fit debilis, inaequalis, vix distinguendus, lingua, dentes, labia sordibus nigris obtecta sunt. Sensorii facultates mire perturbantur, delirio, comate, convulsionibus vexatae, respiratio; crebra, anxia, laboriosa est. Fauces muco crasso, viscido, obstructae sunt, sed devorandi difficultas minus quam in scarlatina anginosa urget. Viscera chylo parando servientia multum

perturbantur, circa praecordia molestia magna est, cum nausea et vomitu. Ulterioribus morbi stadiis vomitus perpetuus est, cum adeo acri diarrhoea ut anum excoriet. Oculi hebetes sunt, suffusi, rubri, malae suffusione purpurea tectae, praeter nigras linguae, dentium, labiorum crustas supra memoratas. Lingua et labia, cum faucibus, tonsillis, aliisque oris internis partibus crustis cineritiis teguntur, sub quibus sunt ulcera maligna, quae sanari nolunt, quaeque saniem acridam profunduunt. Haec per oesophagum destillans multum molestiae excitat, atque irritatis intestinis diarrhoeam movet. Membrana narium mucosa quoque multum inflammatur atque laticem acrem illi haud absimilem excernit, qualis labium superius excoriet nec raro exulceret.

Inter omnes species, haec minime distinctum exanthema habet: quod saepe quasi sporadicum, in maculis inaequaliter per cutem dispersis, apparet, magnis interstitiis interpositis. Primum per faciem et collum exit, diem per alias corporis partes,

coloremque, cito lividum vel purpureum induit. Hae particulae saepe in petechias vel vitia degenerant. Dies eruptionis quam in aliis speciebus tardior est. Multis, paucis postquam apparuit horis evanescit, iterumque post aliquot dierum in conspectum redit. Aliis eruptio nulla fuit dum cetera signa rapidissime proegressa sunt. Calor cutis neque adeo magnus nec adeo constans, ut in aliis formis est.

Scarlatina maligna letho plerumque finitur; nempe oris ulceribus gangrena affectis, vomitu, et diarrhoea magnam debilitatem gignentibus, saepe quoque his adjiciuntur sanguinis profluvia ex ore, gutture, alvo; glandularum cervicis, ob materiam in ore intus absorptam tumores, suppurationes; ipsarum faucium tumor et livor, qui saepe mortem suffocando superinducunt, ante secundam fere vel tertiam hebdomadam. Dantur tamen exempla quibus terminatio lethalis multo citius advenit; ut secundo vel tertio die: et etiam paucas post horas. Quin et qui convalescunt diu tenui

valetudine luctantur; glandularum enim colli suppurationes, viscerum thoracis affectiones, natium exulcerationes, febris hectica, quominus cito convalescant, vehementer impediunt.

DE DIAGNOSI.

Donec post eruptionem, prima Scarlatinae indicia ab aliis exanthematis (excepta forsan rubeola) distingui non potest. Rapida quidem aggresio ad exanthemata quodammodo pertinere ostendat, sed hoc tempore, ad quodvis pertineat, non multum interest: cum curatio eadem sit ac quae aliis febribus accommodatur.

Sed eruptione per cutem facta, signa jam descripta abunde Scarlatinam distinguunt. Quin et ab ipso principio a rubeola facile discerni potest. Hujus enim prima signa sunt tussis dura pertinax, cum sputi viscidi acris excretione, respiratio accelerata difficilis; et oculorum rubor, inflam-

matio, lucis intolerantia, oculorum suffusio lacrymatio, acre e naribus profluvium sternutamenta ciens. Corporis calor multo minor quam in Scarlatina est. Quin et secundo fere die Scarlatina incipit, Rubeola quarto, eruptio Scarlatinae magis diffusa, atque coloris laetioris est. Rubeola vero per puncta rubra, rotunda, pulicum morsus referentia: quae tandem coalescentia plagulas semilunares repraesentant. Cutis per interstitia lene elevatur, atque digito sensum asperitatis impertit.

DE PROGNOSI.

In Scarlatina simplice prognosis fausta est; quippe qua eruptio curriculum suum constanter peragat, cum reditu appetitus, viriumque gradatim. Praesagium tamen in scarlatina anginosa magis ambiguum; sed quamvis calor cutis intensus sit, si tamen non variat, si eruptio laete coccinea appareat, si

tumor gutturis non magnus sit, et ulcera, si qua adsint speciem salubrem exhibeant, nulla ad delirium proclivitate, viribus integris. Haec signa, ut faustum speremus eventum, praestant, sed si febris indicia gravia evadunt, cutis intense caleat, pulsus admodum frequens sit, eruptio a rubro ad lividam colorem transeat, ulcera in faucibus aut livida aut gangraenosa evadant, prognosis dubia si non infausta habetur. Scarlatina quidem maligna omnium forma est periculosissima; atque omni exemplo, cautissime prognosis proferri debet. Quum signa non multum differunt ab anginosa specie, tum resolutione ut finiantur sperare licet, ne tamen memoriâ excidat, ea facile degenerare posse. Sed cum ingens virium prostratio adest, delirium humile, mussitans, profundae oris exulcerationes; exanthematis recessio vel nulla apparitio; corpus vix calens cum membrorum frigore, vomitu perpetuo, diarrhoea, sanguinis e naribus, ore, ano profluvia; tum quidem pene certum erit, quod auxilia nostra, utcunque diligenter adhibita, spem denique frustrabunt.

DE CURATIONE.

De Scarlatina simplice, utpote levi morbo, curanda, longis ambagibus haud opus est. Cubiculum frigidulum conservari debet; nec non aëris libera ventilatio. Fumigatio acido muriatico prodest, et omnes excretiones simul atque receptae sunt, removeri debent. Facies, brachia corpus, aceto et aqua ex spongia madefieri debent, per febris ardorem. Quod si delirium supervenerit, capilli abradantur, et capiti frigida, uti ex panniculis vel spongia adhibeantur; atque si opus sit visum, sanguis temporibus per hirudines subducatur, quod plerumque satis erit.

Purgantia lenia non omittenda sunt: per morbum haud multum cibi postulabitur; quod vero assumptum fuerit, levissimum esse debet. A cibo quidem animali prorsus abstinendum erit; atque potu ex aqua hor-

dei aliisve decoctis mucilaginosis; vel acidulis uti *lemonade*, tamarindis aqua maceratis, similibusque constare debet; sed aqua pura plerumque gratissima erit.

Tali curationi si scarlatina simplex non cedat, aut etiam ingravescat, tum ad alia et potentiora remedia, apud alias species brevi dicenda, confugere oportet.

1*mo*, *De Venaesectione.*—An hoc morbo sanguinem mittere utile sit, vehementer disputatum est. Contra ejus missionem urgent;

A. Scarlatinam certum definitum sibi curriculum absolvere; quod venaesectio decurtare nequaquam poterit.

B. Vires corporis, protinus a morbi initio, nimium alteri, quam ut summae debilitati, finem versus occurrenti, utiliter resistere possint.

Ad haec autem argumenta responderi potest, quod venaesectio, quamvis non abbreviet, signa tamen leniet; ideoque vires minus laedi, quam sine hac adhibita, oportebit. Illo autem remedio non semper ad simplicem scarlatinam opus erit. Sed scarlatina anginosa, ubi multum febris atque delirii adest, cum faucium tumore ac inflammatione, spiritu difficili, aliisque excitationis generalis signis, ubi etiam viscerum abdominis inflammatio subesse videtur, tum plerumque sanguinis missio utilissima erit. Annotandum est, tamen, haec quo citius adhibita erit eo plus ut profutura sit; atque copia ejus ab indiciis praesentibus, ab effectu in pulsum, a sanguinis detracti specie, necessaria sit aestimanda.

Summam sanguinis missi utilitatem in ea scarlatinae malignae specie quam congestivam appellavit, Dr ARMSTRONG praeclare evincit: ea quidem varietas hisce agnoscitur indiciis. Facies pallida est, vertigo, virium prostratio, ventriculi irritatio, praecordiorum do-

lor, cutis raro supra, aliquando infra naturae normam calet. Pulsus debilis, depressus, inaequalis est, cum delirio miti. Eruptio vel exanthema purpurei vel cuprei coloris est; ut progreditur atrior facta. Sanguis sub his conditionibus si missus fuerit, effectum ejus in arteriarum pulsus ut medicus inter operationem caute observet, necessarium. Si pulsus validior evadat; detractio tuto continuari potest; si vero flaccescat, tum brachium statim ligandum est.

Anasarca quoque scarlatinae superveniens sanguine misso commodissime curatur.

De Affusionibus.—Affusio frigida, a clarissimo olim J. CURRIE tantum laudata, in Scarlatina remedium utilissimum esse inventum est. Paucis horae minutis post eandem adhibitam, signa febrilia valde moderantur, aeger se refectum sentit, in somnumque tranquillum delabitur. Recurrentibus vero signis repetenda est quandiu hominem sublevare videtur.

Aeger nudus super solium idoneum collocandus est; atque ibi subito quinque sexve amphorae aquae quam frigidissimae ei affundendae sunt. Posthac linteo bene exsiccandus est. Tum lecto reponatur, stragulis modice tectus. Neque memoria excidere debet, quod cum cutis humiditas vel algor adest, hoc remedium summe periculosum erit. Signa quae usum ejus commodum fore indicant illa sunt; cutis calida et arida, dum calor constans est, pulsus celer, firmus, ingens anxietas febrilis, morbus quoque recens, vires imminutae. Saepe, propter speciem remedii formidabilem, id adhiberi cognati nolunt, quibus in exemplis abstersione faciei, corporis medii, membrorum, spongia ex aceto diluto contentos nos esse oportebit. Sed cum pulsus debilis, inaequalis est, calor corporis vix naturae normam superans, debilitas satis notabilis, morbus jam aliquot dierum, tum aquae marinae, vel aquae sale probe imbutae affusio, caeteris anteponenda erit.

De Emeticis.—Ut haec in scarlatina curanda utilissima sint, pene apud omnes convenire videtur. Vomitorio sub initio dato, nauseam, capitis dolorem levamus, ad cutem summam sanguinem dirigimus, ideoque sudore aucto corporis calorem minuimus. Eorum commoda in scarlatina anginosa evidentia sunt; etiamsi ante haec exhibita, devorare fere impossibile fuerit, respiratio difficilis, fauces muco viscido pene obstructo. Post vomitum, liquidorum deglutitio quodammodo facilis evadit, spiritus minus laborat, guttur muco purgatur, orisque ulcera speciem magis salubrem induunt. Primis Scarlatinae malignae temporibus, lenia vomitoria suadenda sunt; sed propter vomitum, qui finem versus vix non perpetuus est, tum si non perniciosa, saltem minime idonea erunt.

De Catharticis.—Post tractatum Doctoris Hamilton, de purgantium utilitate editum, Debilitatis timor qui medicos olim agebat, explosus est.

Quanquam vero protinus ab initio scarlatinae, cum excitatio magna est, medicamenta cathartica acriora prosint, tamen ultimis ejus stadiis lenibus tantummodo *laxantibus* utendum est. Eadem in maligna specie mire auxiliantur; utpote quae acrem materiam per gulam defluentem amoveant, ideoque diarrhoeam prohibeant, nequaquamcieant, ut multis olim putatum est.

De Gargarismatis.—Gargarismi acres aciduli ex acido sulphurico, nitrico, muriatico in scarlatina anginosa utilissimi reperientur. Gutturis enim tumorem ac inflammationem minuunt, ulcera quae forte adsint, purgant. In scarlatina maligna gargarismo ex capsico uti possumus; hic enim stimulando novam, magisque salubrem actionem supervenire saepe efficit.

De Rubefacientibus et Epispaticis.—Ubi gutturis tumor non magnus, ad linimentum ammoniae confugere satis est; sin autem is multum augescat, faucibus externis vesica-

torium admoveri debet. In maligna tamen specie, cujus inflammatio in gangraenam transire adeo proclivis est, illud minime laudandum est. Si superveniat delirium, capillos abradere, epispasticum admovere usus communis est ; sed melius erit tutiusque, post rasuram caput aqua gelida refrigerare ; quin eo commodius, quod minus doloris atque irritationis movebit.

De Tonicis et Stimulantibus.—Cinchona olim, ut febrifuga in scarlatina curanda usurpata perinde ac aliis febribus erat ; hodie tamen propter vires ejus roborantes quibus ventriculum firmat, exhibetur ; fere post alvum probe vacuefactam, febremque sedatam. Prope finem Scarlatinae malignae, vinum, opium et tonica saepe felicissimo eventu praeberi solent.

FINIS.